



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 76. Bononia a Fœderatis obsessa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

§. LXXVI.

Bononia a Fœderatis obsessa.

Marian. l. c. Tandem die decima septima Januarii
Raynald. hoc Fœderati, junctis Papæ copiis, Bo-
an. n. 5. noniæ obsidionem moluntur. Hæc urbs
Sigonius l. 5. parum munita erat, nec mœnia aliis pro-
de Epif. Bon. pugnaculis, quam veteribus turribus fir-
mabantur; Bentivolius enim, cum illam
Pontifici eripuisset, arcem solo æquari
jussit, id postulante populo; præterea
nonnisi quædam collectitiæ copiæ, nec-
non bis mille pedites Germani Gallorum
stipendia merentes, ac nonnullæ legio-
nes ad militiæ leges compositæ urbem
tuebantur, quibus Lautrecus, & Ivo A-
legrius imperabant: Cuncti tamen præ-
fidiarii spem suam præcipue repositam ha-
bebant in Gastone Fuxo, cujus auxilia
præstolabantur.

§. LXXVII.

*Gasto Fuxus latis suppetiis urbem
ingressus.*

Nec inanis erat eorum fiducia; quippe
Gasto, cum Venetos in Brixiam ir-
ruptionem moliri, hancque urbem a Lu-
denti Comite resistendo impare defendi
comperisset, exercitus sui robur eidem
admovere, validasque suppetias ductore
Pre-

Precyo Alegrio mittere decrevit, nec ir-
 rito successu; Precyus enim tam prospe-
 re per devia agmen suum ducebat, ut
 absque unius militis dispendio civitatem
 ingrederetur; interea etiam Fuxensis nun-
 tium accepit, quod Veneti successu fru-
 strati, trajecto Athesis fluvio pedem re-
 tulerint, veriti, ne graviori discrimini copias
 suas exponerent, quibus tamen ad tuendas
 urbes suas ipsimet indigerent, ideo Fuxen-
 sis Bononiam contendere statuit. Ergo
 motis ad Vesperam castris Finario profi-
 ciscitur, nihil remorante totius exerci-
 tus sui alacritatem asperrima coeli
 temperie, ac densissima nivium procella,
 quæ tanto ventorum impetu quaquaver-
 sum jactabatur, ut tam hominibus, quam
 equis fere omne cessaret oculorum offi-
 cium, cumque nives vix calcatae frigo-
 re concreverent, pedites fallente quovis
 passu in terram corruerent.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1512.

Ceterum Gasto Fuxensis exercitum
 ducebat mille trecentis Lanceariis, pe-
 ditumque quatuordecim millibus vali-
 dum, compertoque ejus adventu Car-
 donna Bellidux, subductis quibusdam
 ex acie legionibus, Fabricium Colum-
 nam eo, quo Galli penetrare possent,
 præmisit, ut eis aditum urbis interclu-
 deret. Nihilominus tam secundum erat
 Gastonis iter, ut hostibus nequidem ad-
 ven-

Guicc. l. 10.
 n. 3.
 Maria. l. 30.
 n. 30.